

30

~~G. W. 27.~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

VI-26.

SIGNAT. ciobcccxiij.

Stückzettel erled.
11. XII. 1949.





A. A. C. C.
 DISPUTATIO
 EXERCITATIONUM PHILO-
 SOPHICARUM XXII.

De
**METALLIS, PLAN-
 TIS, AC BRUTIS ANI-
 MALIBUS.**

Quam,
Annunte benignè Tri-uno Deo,
 SUB PRÆSIDIO

M. TOBIÆ TILEMANI

VVitteb. Colleg. Philos. Adjuncti,
Liberalis exercitij gratiã defendendam suscipies,
HINRICUS MECHOVIUS
 Stadenſis Saxo
In celeberrimã VVittebergenſi Academia,
ad diem 13. Octobr. horis & loco ſolitis.

Scalig. Exerc. 216.

*Nihil beatius, quàm ſcire. Nihil divinius, quàm docere. Nihil
 propius vera felicitati, quàm diſcere.*

VVITTEBERGÆ

Ex officina Typographica Iohannis Gormanni, Anno 1610.



REVERENDA DIGNITATE ET
eruditionis thesauro præstantissimo
VIRO,

Dn. CHRISTOPHORO BARBAROSSÆ,
Ecclesiæ in Altenbroch Superatten-
denti usquequaq; vigi-
lantissimo.

Et

Nobilitate Generis, Virtute, Pietate, eruditione
& morum integritate conspicuis VIRIS
Juvenibus

Dn. DETHLEVO Schulzen

Dn. JOHANNI ADOLPHO von Düring

N E C N O N

Humanissimo, Præstantissimo, Ornatissi-
moq; Viro-Juveni S.S. Theologiæ
Studioso Matthiæ Hein Hu-
fano Holsato

Universis his & singulis, magnis & literarum &
literatorum Patronis, Dominis ac fautoribus suis o-
mni observantia et atem colendis

In debitæ observantiæ & grati animi *τεκμήριον* hoc suum
quale quale *προσφορά* Philosophicum sum-
missè offerre dedicareq; voluit & debuit.

HINRICVS MECHOVIVS
Stadensis Saxo.

P R Æ L O Q V I U M.



*Veritas, & est pervera Platonis, principis ingenij & doctrine, sententia, illum pro Philosopho unico habendum, quem constat ὁ χρῆσις ἐ-
 γέλονται παντός μαθήματα & γένεσθαι, lib. 5. de Republ.
 fol. 466. Nam, præterquam quod nihil sit suavius quam omnia scire, ut
 suavè loquitur ex Phocylide Tullius, lib. 4. ad Attic. Ep. 11; Tam etiam
 ἄριστο, vinculoq; penitus adamantino discipline devinctæ ad invicem o-
 mnes sunt, ut una absq; altera nec esse, nec legitimam unquam in considerationem venire
 possit. Hinc vulgatum, ἐξ̄, petitum media via illud est, quo fertur, disciplinam unam al-
 teri semper manum porrigere, illasq; ipsas disciplinas ἐν ἐγυμνασίοις δέξαι quaedam
 consistere, dum omnes ab uno communi centro deductæ, per idem medium ad communem
 circumferentiam ferantur, quodq; in una desideratur, altera defectum illum suppleat, ac ad
 summam in tantum auxiliatrices manus vicissitudinaria operâ sibi invicem præbeant, ut
 solida scientia cognitioq; non ni ex contemplatione omnium proveniat, ex perpensione cun-
 ctarum derivetur. Cum verò Philosophus omnium rerum causas, quantum humani inge-
 nij fert sagacitas, concedit imbecillitas, tenere ac exponere debeat; Et hæc non nisi ab omni-
 genâ sint rerum cognitione discussioneq;: Fit, ut æquisimam Plato censuram adhibuerit,
 illum saltem augustiss. Philosophi nomen subire, non qui unam alteramq; duntaxat di-
 sciplinam asperit, sed qui incensâ voluntate ad quamlibet, ad propositum tamen accommo-
 datam, doctrinam contemplandam aspirat. Quare ut & Nos nomen illud, si non acquisi-
 disse quadantenus, saltem tamen ambijisse, aut adire attentasse videamur, non prægressis
 Exercitationibus, habitus maximè super corpora Imperfectè mixta, jam inherendum uni-
 cè, desistendumq; hic, verùm modis omnibus ad alia insuper, in residuo adhuc restantia, &
 quidem ordinis exactioris indicio ad Corporum tractationem Perfectè mixtorum acceden-
 dum & ea etiam utiliss. omnino & suaviss. in quadrum, quod ajunt nostrum redigenda.
 Hæc autem Perfectè mixta corpora, que mistilium completè alteratorum constant unio-
 ne absolutâ, non ad unum veniunt censum sed duplicis sunt sortis potiss. alia Inanimata,
 vitæq; penitus omni destituta, ut sunt Mineræ; Alia animata & vitæ corpora: Et hæc
 iterum aut sine sensu, ut Plantæ, aut cum sensu, & vel rationis expertia, ut Bruta, aut
 ratione prædita, ut Homo Nos & brevitate gratæ jussu, & commode distinctionis mo-
 nitu hæc vice tantùm in prioribus tribus speciebus mineris scilicet plantis, & brutis, industri-
 am nostram sumus probaturi, de ultimâ paulo post ad sufficientiam acturi.*

T H E S I S I.

Mineras communi, a& barbaro, vocabulo appellamus, quæ ultimam so-
 lum perfectæ mixtionis formam, minerali materia introductam, obti-
 nent, idq; propter non nisi similes, inorganicas & vitæ expertes habent
 partes, ac generalissimè in Nativas & Facticias subdividi solent.

II. Ille, generatione Meteoris analogâ in naturalibus matricibus ex
 ἀτμιδώδει καὶ κατὰ νόδῳ ἀνατομίασει, vi minerali, ministerioq; caloris
 preparantis, & constipantis frigoris progenerantur, potiss. in montibus, a-
 liâs ut plurimum sterilibus: Earundem species tres sunt, Metalla, Lapides &
 Metallaria.

III. Metalla corpora sunt perfecte mixta & inanimata, vi metallifica (sic loquuntur) in terra venis lapidumve cavernulis, juxta Philosophos quidem ex subtili terreo & humido aqueo, juxta Chymicos autem, ex sulphure & hydrargyro, velut semine masculino & foemineo, producta.

IV. Ejusmodi numero proprie septem sunt, Aurum, quod vi aurifica ex copiosiore aqueo & pauciore terreo, utriusque tamen purissimis & optime delectis; Argentum, quod ex iisdem halitibus, de puritate tamen & caliditate sua aliquid remittentibus; AEs & Orichalcum, quod ex copiosiori & impuriori terreo; Stannum & plumbum, quod ex copiosiori & impuriori aqueo; Ferrum tandem quod ex copiosissimo & impurissimo terreo concrefcit. Scalig. Exerc. 106.

V. Pro materia varietate, Metalla haec varios etiam ostendunt colores, aurum, aes & orichalcum citrinum, argentum, stannum, & plumbum candidum, ferrum fuscum: Pro diversitate autem concretionis aut fortioris aut imbecillioris, tum gravia tum ductilia sunt, ubi aurum omnium ut gravissimum est & solidissimum sic maximè malleis diduci potest.

VI. Ratione tandem formarum essentialium, quibus invicem dissident, interque se discrepant, alias atque alias habent affectiones, viresque non tam admirandas quam stupendas penitus: Sic aurum cor hominis confortat tacita & latente causa, & contra diem circa diluculum frigescit, Ferrum non nisi rubigine crescit &c.

VII. Lapidés quod attinet, sunt ut mineræ vi lapidifica vel ex humido aqueo à terreo sicco, vel vicissim ex sicco terreo ab aqueo humido variè passis, adeoque constipata, ut vix iterum unquam liquefieri valeant: Et distinguuntur in Pretiosos partim, partim in Vulgares.

VIII. Illi vel in terris, vel in aquis, vel in animalibus vi gemmifica ex subtiliori & puriori materia producti, multis miris ac occultis pollent virtutibus: Sic Adamas ferrum ignemque eludit, hircino solum succumbit sanguine; Magnes non tam trahit, quam ferrum movet, semperque Septentrionem innotetur; Crystallus, quæ ex glaciæ fit indurata, adversus locata Solem accendit objecta quæque; Margaritæ, quæ ex rore sunt, confortant cor &c.

IX. Lapidés vulgares, qui ex crassiori ac impuriori materia concrefcunt, numero multi sunt, alij quippe porosi, ut pumex & tophus, alij solidi, ut saxa, alij nitidiores ut marmor &c. In his, ut & prioribus, varia quandoque deprehenduntur figurae, quas à peculiari & penitus ignota fieri causa adserimus.

X. Tandem Metallaria sunt mineræ non tantum siccitatis habentes, ut

in

in lapides, nec tantum humiditatis obtinentes, ut in Metalla abire possent, quod propter ut plurimum sunt friabilia, ut vocantur, manibusque atteruntur: Sub se continent cum succos quosdam Metallicos, ut Sal, quod facunditatem cunctis conferre rebus non inrecte creditur, Argentum vivum, succinum, quod ex vapore fit viscoso &c. Tum terras Metallares, ut est terra Lemnia, Creta &c.

XI. Ad extremum facticias Minerarum eas esse contendimus, quae in artificialibus vasis ex minerali materia, artis industria, naturalia agentia passivis applicantis, perficiuntur: Sic Electrum provenit ex auro, vel aere & argento, sic chalybs ex ferro, ex luto lateres fiunt, sic paratur vitrum, scoria, & rugines &c. Hac brevitate grata de Mineris.

XII. Porro ad animata & viventia, quae praeter perfecta mixtionis formam animam quoque informantem, adeoque partes non modo similes, sed & dissimiles ac organicas sortita, progredientes, primo corpus vivens, quod anima vegetali praeditum, considerabimus, ut est Planta, quae est corpus perfecte mixtum praeditum anima vegetante, quaeque ex terris nascitur, vivit, vivet, alitur, augeturque.

XIII. Estque aut Arbor, quae simplici, ramoso & perenni caudice à radice in altum excrescit, & vel Peregrina existit, ut Balsamum, quod tamen a verum adhuc & genuinum reperitur, asseverare neutiquam possumus, Piper, Myrrha &c. Vel Domestica, eaque aut pomifera, ut ficus, olea &c. aut bacifera, ut quercus, juglans &c. His adjici possunt & steriles arbores, ut salix, populus &c.

XIV. Aut Frutex, qui perenni quidem, verum multiplici sese attollit sursum caule: Et vel nobiliores sunt, ut Cinamomum, quod tamen verum reperiunt amplius vix est, cassia, calamus aromaticus &c. Vel ignobiliores, ut Vitis, juniperus, Corylus, Rubus &c. His, uti & arboribus adnascuntur tubera quaedam, uti & interdum fungi, omnia quae imperfectarum exprimimus plantarum nomine.

XV. Aut demum Herba, quae quotannis arescentem caulem tenuisque surculos ex radice emittit, & vel Alimentaria est, ut sunt tum frumenta, ut triticum, siligo, hordeum &c. tum legumina, ut faba, milium, oryza &c. tum oleacea, ut beta, brassica, lactuca, nasturtium &c. Vel minus talis, ut sunt tum medicamentosa seu aromatica, ut crocus, Zinziber, Rhabarbarum &c. tum coronaria, ut rosa, ruta, salvia &c. Tantum quoque pro re nata de Plantis.

XVI. Caterum ad corpora sensu praedita accedentes, dicimus Animal

esse essentiam corpoream vita sensusq; plenam: Ipsi namq; Sentiens praest
anima, qua inseparabilis ab animalium vita, & cujus facultas anima vege-
tatrix est, quaq; vitum cognoscendi, quae sensus habet, & Exteriores quinque,
& Interiores tres, tum movendi pollet, quae vel interna est, in qua vis Appe-
tendi & Vitalis residet, vel externa, à qua progressio omnis promanat.

XVII. Iuxta definitionem hanc animalium, aliud imperfectum est,
quod vulgò zoöphytum dicitur, & quod motu tantum contrahendi dilatan-
diq; constat, ut urtica marina, spongia &c. quibus & arbor pudica Scaligeri,
Exerc. 181. Sect. 28. & herba mirabilis, quae ovem figurâ refert, &c. annu-
merandi sunt.

XVIII. Aliud Perfectum, quod movetur tum, tum ple. ariè sentit: Et
est aut rationis expertus, ut Brutum, aut ratione constans, ut Homo. Brutum
aliud insectum est, aliud integrum: Illud incisuris distinctum habet corpus,
sanguineq; caret, & nullâ utitur respiratione, ac provenit vel ex limosâ pu-
tri & coenosa terra, vel ex putrefacto cadavere caloris, vel solis, vel ipsius ca-
daveris putrescentis, interveni.

XIX. Classes Insectorum tres constituuntur, 1. Volatilium, ut est Apis, a-
nimalculum prudentiss. Cicada, Culex &c. 2. Aquatilium, ut Hirudo &c.
3. Reptilium, ut Bombyx, miraculum verè Natura, cujus mos est, Seneca præ-
clarâ Sententiâ, in minimis se exercere; formica, aranea &c.

XX. Integrum animal corpus sine caesura habet, ac sanguine, sine quo nec
esse nec actiones ullas vitales edere valet, praeditum est, varijsq; ex partibus
tam liquidis seu humoribus, quam solidis, ijsq; aut similaribus aut dissimila-
ribus contextum. Ac est vel Terrestre, vel Aquatile: Illud inspiratione aërem
haurit, extramq; aquam in terra tegit, victumq; querit.

XXI. Estq; dividuum iterum in Volatile & Gressibile, uti loquuntur:
Illud in aëre volatu utitur, & Aves vulgario nomine adpellantur, ut sunt,
Aquila, quae à visu, ira, & unguis maximè commendatur, Paradisea avis,
sine pedibus in aëre semper & perpetim volitans, struthio &c. Reliqua quae
feruntur de Phenice, Grypsibus, Pelecano &c. fabulosa sunt.

XXII. Animal quod gressu in terra utitur, dirimitur in Quadrupe-
da & in Reptilia: Illa sunt quae quaternis incedunt pedibus, ac iisdem ferè
partibus, quibus Homo, constant, modò quod brachiorum loco pedes habeant
prioris. Nascuntur non ex putredine, ut malè sana quorundam habet opinio,
sed mutuo ex congressu: Et distinguuntur à se voce ut plurimum
& sono,

& sono, quem peculiarem ab alijs diversum unaqualibet serè species ob-
tinet.

XXIII. Dividuntur in bisulcum animal & non bisulcum: Illud vel
non Ruminans est, ut Sus, Camelus, bestia mansueta summèq; docilis, &c.
Vel Ruminans, quod cibos in ventrem demissos sursum retrahit & remandit:
Ac aut non cornua habet, ut ovis, aut habet, & vel unum, aut in fronte, ut
Monoceros, animal in frequens quidem, revera tamen in rerum natura exi-
stens, aut in naso, ut Rhinoceros; Vel duo, aut recta & ramosa, ut Cervus, al-
ce, &c. aut prona, ut Dama, aut contraria, ut bos, hircus &c.

XXIV. Non bisulcum animal habet vel solidas ungulas, ut Equus ani-
mal superbiss: Elephus, humanis animal proximum sensibus &c. vel fissos digi-
tos, ut Leo, animal calidiss: calidiss: Canis, animal fideliss: Talpa, quæ
etiam oculos habet, & in sua specie cæca minimè est. Et sic Quadrupeda
se habent.

XXV. Reptilia animalia, quæ repunt, & erratico incedunt ingressu,
Serpentum vulgò nomine exprimentur, quorum prudentia & astutia in-
tuenda vita, deligendis latibulis, pastuq; querendo insignis est: Interna visce-
ra eque ut alijs obtinent animalia, suaq; continuo exitu in coitu emittunt, ex
quibus serpilli fiunt, ac venenum à substantia sua natura continent.

XXVI. In illorum specie potiss: notantur, Aspis, bestia surda & venera-
tiss: Basiliscus, qui obvia quæq; etiam venenatiss: & vel solo halitu corrumpit
ac interficit, nec à gallo aliquo vetusto, ut protrita, sed inanis & vana habet
fabula, ac communem ad Serpentum modum provenit; Draco, maximus
serpentum, visuq; insigniter pollens; Vipera, de qua fabulosè itidem narra-
tur, in conceptu ejus patrem, in partu matrem perire &c. Hæc de terrestri a-
nimali.

XXVII. Ad extremum Aquatilia animalia sunt, quæ tum in mariti-
mis, tum in dulcibus degunt aquis, earumq; naturam & Temperamentum ob-
tinent: Talia sunt vel Amphibia, quæ & in aquis & in terra commodum vi-
vunt, ut Crocodilus, cancer &c. Vel Pisces, qui sunt animalia frigida & aqueæ
substantiæ, corpore oblongo, cute squamosa, in aquis degentia.

XXVIII. Carent pisces omnes pulmone ac aspera arteria, quocirca nec
respirant nec vocem aliquam emittunt, aliàs alia membra omnia sensuumq;
habent organa cum cæteris brutis communia; Coeunt in occursum exiguo ven-
tribus se confricando, & dum femella ova spargit, mas super ea lac fundis
prolificum, quæq; ova illo asperguntur, piscem procreant.

Eorum-

XXIX. Eorumdem species ferè infinitæ sunt, ad has tamen divisionis veniunt classes, quod alij sanguine careant, qui aut molles sunt, ut sepia, quæ loco sanguinis humorem atramento similem obtinet; Aut duri, ijç, vel crustacei, ut locustæ, squilla &c. vel testacei, ut Ostrea &c.

XXX. Alij sanguine præditi sint, qui vel Marini sunt, ut Balena, Delphinus bestiarum velociss. Torpedo, dum scil. captæ in retibus, priusquam attingatur, piscatorum manus stupefacit, Polypus &c. Vel fluviatiles, qui iterum aut maximi sunt, ut Salmo, delicia mensarum, Sturio, Mario, Amia &c. Vel mediocres, ut Anguilla, Lucius, Aurata, Cyprinus &c. Vel minimi, ut Turdi, Bdella &c. Sed de his omnibus ad sufficientiam alij, & nos alibi.

A D J E C T A N E A.

1. Metalla inter se vix, ac ne vix quidem, transmutari possunt. 2. Indeç, verum aurum aliquâ arte effici posse haut credimus. 3. Hoc interim potabile reddi, citraq, noxam aliquam assumi potest. 4. Herba ad unam omnes salubres sunt. 5. Plures animalium species Natura producere non valet. 6. Nulla quoç, alterâ vel est felicior, vel infelicio. 7. Zoöphyta plantis veriùs quàm animalibus accensenda sunt. 8. Anima brutorum omninò substantia est. 9. Aves inter nulla venenata est. 10. Anatiferam alicubi esse arborem Vero sat consentaneum esse videtur, uti est & alia, cujus collapsæ in fluvium frondes, piscium formam induunt, ut videre licet apud Scal. Exerc. 59. S. 2. &c.



Umg. VI 26

= [Dissertationes
Theol. Vol. 707]



Sb.

VD 17





A. A. C. C.
 S P U T A T I O
 T I O N U M P H I L O.
 I C A R U M X X I I.

De
 LLIS, PLAN-
 BRUTIS ANI-
 MALIBUS.

Quam,
 e benignè Tri-uno Deo,
 B P R Æ S I D I O

Æ T I L E M A N I

olleg. Philos. Adjuncti,
 ij gratiâ defendendam suscipiet,


IS MECHOVIUS

adensis Saxo
 Vittebergensi Academiâ,
 Octobr. horis & loco solitis.

alig. Exerc. 216.

re. Nihil divinius, quàm docere. Nihil
 tati, quàm discere.

VITTEBERGÆ
 a Iohannis Gormanni, Anno 1610.



Farbkarte #13

B.I.G.